



Quartus humilitatis gradus est (si in ipsa obedientia duris) id est grauius et difficilibus ad exequendum (et contrariis rebus) id est displicilibus et aduersis uoluntati sue (vel etiam in quibuslibet irrogatis iniurijs tacita conscientia patientiam amplectat: et sustinens non laescat vel discedat) Quia tertius gradus humilitatis est ut discipulus omni obedientia se subdat maiori ne forte aliqua occasione utpote propter grauitatem iniuncte oneris aut propter repugnantiam animi ad id quod agendum precipitur respicere velit: congruente ordine quartus gradus humilitatis subiungitur quod est ut discipulus in ipsa obedientia contra aspera patientiam amplectat. Dicit Gregorius. Qui gloriam non querit contumeliam non sentit. Item Non timet confundi in conspectu hominum quod solum gloriam querit apud deum. Dicit etiam de apostolis actuum. ix. quibus gaudentes a conspectu consilij quoniam digni habiti sunt pro nomine iesu contumeliam pati (dicente scriptura) Inducit autem in hoc loco sanctus pater plures de fonte scripturarum auctoritates que discipulum habeant ad hunc humilitatis gradum inducere. Prima est illa Math. x. (Qui perseuerauerit usque in finem hic saluus erit) Non enim cepisse ut ait Hieronymus. in gloria sed profecisse uirtus est. Nec inchoantibus ut ait Remigius: sed perseuerantibus premium tribuit. Secunda est illa psal. xxvj. (Confortetur cor tuum et sustine dominum) Confortetur cor tuum consideratione premij. Gregorius. Consideratio premij minuit vim flagelli: et si differat premium sustine patienter dominum quod promisit quia uerax est in promissis: et sic confortetur cor tuum scilicet ne lassaris. Et si mala euentant: si ingruerint persecuciones sustine per patientiam dominum quod eas imittit tibi ad utilitatem tuam: Prover. iij. Disciplinam domini fili mi ne abijcias: nec deficias cum ab eo corripieris: Quae enim diligit dominus corripit. Tertia auctoritas in qua sanctorum exemplum inducitur est que sequitur cum ait (Et ostendens) scilicet sancta scriptura (fideliter pro domino uniuersa etiam contraria sustinere debere dicit ex persona sufficientium) id est sanctorum martyrum (propter te mortificamur tota die estimati sumus ut oues occisionis) Nec vox est iustorum siue sanctorum

martyrum ad dominum. psal. xliij. et ad Romanos. viij. Propter te non pro criminibus nostris: sicut latrones et malefactores sed propter te id est pro nomine sancto tuo vel propter te ut notetur puritas intentionis id est amore tuo non humane glorie: contra hypocritas: qui sicut dicit Math. vi. Exterminantes facies suas ut appareant hominibus ieiunantes: mortificamur: id est morti afficimur tota die. Nota perseuerantiam quam necessaria est in patientia ut dictum est: Estimati sumus ut oues occisionis: id est sine aliqua reluctance aut contradictione sumus passivi: id est sumus occisi: ista est uera humilitas quam discipulus huius schole habere debet. De qua mira sanctorum patrum humilitate multa in uitis patrum leguntur exempla. Ubi de quodam abbate legitur quod cum ab eo esset quesitus quomodo acquisisset hanc uirtutem: ut cum emergeret aliqua tribulatio in monasterio non loqueretur respondit quasi intraui inquit: dixi animo meo Tu et asinus unum estote. Sicut ergo ille uapulabit non loquetur iniuriam patitur et non respondet: sic et tu facias: Pro ut ait psal. Et iumentum factus sum apud te. Sequitur (Et securi de spe retributionis diuine subsequuntur gaudentes et dicentes: sed in his omnibus) scilicet tribulationibus tormentisque positi (superamus) id est superiores efficiamur: et hoc non propter nos (sed propter eum qui dilexit nos) cuius beneficio superamus in omnibus predictis. Sequitur. (Item alio loco scriptura) scilicet psal. lxxv. (Probaisti nos deus inquit: igne nos examinasti sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum: posuisti tribulationes in dorso nostro) vox iustorum est quos deus probat per temptationes. Ubi notandum quod deus cui omnia nota sunt antequam fiant ut dicit ecclesiasti. xiiij. et ad hebreos. iij. Omnia nuda et aperta sunt oculis eius: sibi nihil probat: quod probare est aliquid occultum per manifestum ostendere sed nobis probat ad imitandum et ad ipsorum glorificandum quod tales habes milites et ad uirtutes eorum demonstrandum. Solet autem probare bonos milites in quatuor quae specialiter bonos milites faciunt: in fide: in fortitudine: in prudentia: in perseuerantia: hec sunt arma spiritualis militie. De quibus apostolus. ij. ad corinthios. De probatione fidei ad hebreos. xj. Hi

Quid est propter te mortificamur.

Exemplum.

Deum aliquid probare quomodo intelligatur.

Multe auctoritates scripturae inducunt nos ad perseuerantiam tollentem.